

suas negligere discant. Animarum salus, enim, potiusquam popularis aurae gratiam vel crumenam, spectanda semper. In sacris, igitur, confessionibus audiendis, in divini verbi dispensatione, in ecclesiarum frequentatione ac in aegrotorum adstantia, ne ialousiae morsibus se corodi sinant Pastores boni, qui et in facultatibus ad rem a religiosis sciscitatis haud difficulter se habere debent. Animarum saluti omnia semperque cedant!

m) In regularis cleri personas ac operam diiudicanda, potiusquam ex eius erga paroeciam ac Parochum studio ac beneficentia, in veritate fundamentum Pastores quaerant. Prima, enim, humana fere semper argumenta sunt, quibus coelestia emolumenta locum cedere haud debent.

199. — Generatim in religiosis diiudicandis si communia saeculi agendi criteria prae oculis Pastor teneret, pro certo falli persuasum habeat. Religiosi, enim, ut plurimum, in eorum institutione ac vita adeo peculiaribus principiis ac rationibus ducuntur, ut qui ea ignoret vel parvi faciat, simplicitatis ascetaeque opera, cum versutis ac prophanis artibus, omnino iniuste, confunderet. — Ab uno alterove religioso vel religiosa, universum Ordinem ac Sodalitatem ne iudicet Pastor bonus; ab una alterave eorum domo, de monasteriis omnibus sententiam ne ferat. — Semper vero Ordines religiosos omnes, uti Ecclesiae perquam utiles, ac ideo inimicis crucis Christi infensissimos, sincero prosecutaur studio, ac numquam ita se gerat ut quasi adversus ipsos persecutoribus arma tradere videatur. Enimvero, dum religiosi homines persecutionum primicias sustinent, clero saeculari Calvarii viam sternunt; qui si de aliqua in re imprudentia sese incusare possit, fraternae prodigionis suae poenam miserrime luet! Quod utinam omnes intelligerent!

Articulus III.

DE BONI PASTORIS CUM ECCLESIATICIS INFERIORIBUS, CONSANGUINEIS AC DOMESTICIS RELATIONIBUS.

§ I. — Quomodo cum suis Coadiutoribus ac cum paroeciae Clero se habere Pastor possit.

SUMMAE RERUM. — 200. Animadversiones praeviae. — 201. Quae in re canones iubant. — 202. In Coadiutorum electione ac mutatione quae a Pastore servanda. — 203. Generali ac peculiari ratione quantum eorum opera Pastor uti possit. — 204. De quibusdam in eorum vigilantia ac regime servandis. — 205. Quae Coadiutores erga Parochum officia sint. — 206. Cum pagi Clero quomodo se habere Pastor debeat.

200. — Antequam ad spirituale Pastoris regimen, pressius sumptum, cum laicis fidelibus exercendum deveniamus, quae cum ecclesia-

sticis subditis, quorum ex numero tum eius Coadiutores, tum pagi Clerici sunt, servare Pastor debeat, indigitare omnino pernecessarium ducimus.

201. — Quoad in pastorali regimine Coadiutores, canones¹ haec iubent:

I. In omnibus parochialibus Ecclesiis in quibus, populi attenta numerositate, ad ecclesiasticis administrandis ministeriis ac ad divinum cultum peragendum, unus non sufficiat Rector, tot sacerdotes, quot ad rem necesse sint, Episcopus, etiam tamquam Apostolicae Sedi delegatus, adiungere debet.²

II. Si quis vero tanta paupertate laboret, ut ad hoc redditibus careat, quae ad rem necessaria sunt illi subministrantur³.

III. Episcopi adprobacione haud accedente, stabilem sibi adiungere Vicarium Pastor nequit, neque ad hoc ad audiendas confessiones, vel ad divinum verbum administrandum Ordinarii adprobatio sufficit.

IV. Canonica coadiutorum in plebe potestas, ea tantum est quantum Episcopus ipsis delegare videbitur, qui ordinariis in adjunctis ad universalitatem causarum eos deputat. Si secus vero, tum proprias personales obligationes, tum Coadiutoris conditiones, ut aetas, experientia, fidelitas, populi condiciones et si quid Parochus aliud spectetur.

202. — Hisce praemissis, quoad Coadiutorum electionem ac opera, sequentia prae oculis habeantur:

a) In eorum electione, ne potiusquam adiumenta] caece ac miserum in modum] sibi gregique dominico impedimenta Pastor comparet, plumb eo incedat pede oportet. Futuri, igitur, Coadiutoris aetas, ingenium, valetudo, mentis aequilibrium, docilitas ac, praesertim mores, et cuncta quae ad vitam communem ducendam necessaria ac utilia sedulo a Parocho exquirenda sunt; quae omnia si desiderentur vel nuntentur, utrique misera vita, gregi vero dominico et scandalum pararetur. Quanta, enim, cum ingratis commoratio incommoda pariat, ac inter Pastores discordiam plebi sanctae Dei noceant, in comperto est.

b) In coadiutorum mutatione, cum persaepe incidat in Scyllam cupiens vitare Charybdim, numquam satis caute se habebit Pastor, cui haec inconstancia non tantum in paroecia [ubi innumeris mussitationes in populo suscitat, ac eius administrationi damna infert], sed in tota diocesi perniciosissima dictoria enutrire consuevit. Ut, igitur, maiora assequatur, minora toleret...

203. — Quoad sacra exercenda ministeria quomodo cum Coadiutore se habere Pastor possit, proprias personales obligationes a sacris praestitutas canonibus in primis et ante omnia pree-

¹ Cfr. D. D. cit,

² Cfr. cap. 3 et 4 de clero aegrotant.

³ Cfr. S. C. C. in Ferentin. 8 febr. 1744; in Montisalti 23 jul. 1875.

oculis Pastor habeat, et Coadiutoris quoque personales [nuper memoratas] conditions attente deinde perpendat. Quoad primas:

I) Obligatio concionandi ad populum, necnon pro eo sacram faciendi personale Pastoris debitum extat, et tunc tantum Coadiutori demandandum cum iustae caussae id exigant. Quae in utrisque adjunctis exceptiones haberi possunt suo loco recolebimus.

II) Quoad christianam cathechesim pueris explicandam personaliter tenetur Parochus, qui tamen ut formulas addiscant pueri ac ordinem servent, Coadiutorum opera uti potest.

III) Quamvis sacramentales audire confessiones peculiare Pastoris onus sit, attamen nil impedit, immo et quam maxime expedire videtur, ut ad hoc Coadiutores saltem pro viris, [pro feminis tunc tantum cum per synodalia statuta licet] sibi adsciscat. Nec secus de SS. Eucharistiae administratione dicendum, in qua [si Paschale tempus excipias] hoc munus et coadiutoribus committere Pastor potest.

IV) Quoad moribundorum adsistentiam spectat, semper ac cum omnibus hanc curam Coadiutoribus demandare non licet Parocho, qui in peculiaribus adjunctis et quando personaliter advocetur, haud renuere potest. Ceterum in praxi, plus minusve, cum Coadiutoribus hanc sollicitudinem ipse partitur, in quo tamen, ne fiat medicina venenum, peculiares aegrotantis ac Coadiutoris condiciones spectandae: nutantibus, enim, occasiones haud praebenda, sed immo sedulo recidendae sunt...

V) Quoad matrimonium, nisi sint ab Episcopo electi ad universalitatem causarum, Parochi licentia Vicarii indigent; pro baptismo sufficit implicita.

204. — Sed et de Coadiutorum vigilantia ac regimine dicendum; qua in re sequentes normas pree oculis Pastor habeat:

a) Coadiutores suos sincere diligat, ac in commemoratione, victu, stipendio, laboribus, et libertate tamquam viros sacerdotio Christi insignitos [et non uti mancipia ac servos] cum bonitate, mansuetudine, ac benevolentia eos habeat, quin tamen sui paterni regiminis liberalitate ipsi abutantur, quod praesertim in iuvenibus facile contingere videntur. Filii, enim, ac certo quodam modo amici, in pastorali sollicitudine partem habentes ipsi sunt, quos, igitur, haud spernere, nec a coeteris sperni sinere decet. Interdum, enim, tum Pastoris consanguineorum, tum [quod frequentius ac peius] garrulae ancillae, qui quod in Parochum exercent dominium, et eius in Coadiutores adhibere contendunt, ludibrium ipsi fiunt.

b) Si plurimi simul habeantur Coadiutores [attentis circumstantiis] nulla partialitate cum uno alterove utatur Pastor,

et ut sese inter adeo sincero copulentur studio ut nulla discordiae sint semina, impense satagat. Quantum, enim, hae Coadiutorum dissensiones et, eo magis, contentiones [ut plurimum ex invidia ac ialousia in sacris ministeriis gerundis, ac in popularis aurae captatione ortae], eorum personas ac dominicam plebem [in qua factiones efformantur] offendant, haud facile dictu est.

c) Coadiutores advigilet Pastor, et tum domi, tum extra, eorum vitam ac conversationem, quamvis prudenter; attamen sedulo animadvertis, quod tum in pecuniam, tum in mores, tum in ideas servandum. Enimvero:

1. In pecunia advigilandum, ne avaritiae numquam delenda labore coadiutor inficiatur, vel, e contrario, prodigalitate sive iniusta caritate, seu popularis aurae captandae gratia motus, tum suas, tum [quod et sacrilegum] Ecclesiae bona disperdat. Semper vero ne aes alienum contrahat quod deinde numquam forte solvet, eorumque fiat mancipium quos pascere ac regere deberet, quam maxime advigilabit Pastor.

2. Et coadiutorum mores quam maxime vigilandi, quum saepe hi iuvenes, ac ideo nulla mundi experientia roborti, cum sint, versutissimis perversorum hominum tricis, miserrima preda fiant. Enimvero, etsi plerumque fervore aestuant, attamen prudentia ita carent, ut multa saepe perimant seseque ac Parochum, inopinatis nodis, implicant. Ne sit calumniae locus, qua ratione cum feminis agant praelestum Pastor videat, quae per familiarum visitationes sint scrutet, cum adolescentibus agendi modos perlustrret, et si quis monitus, inconsulta pertinacia, perseveret, ut, in tempore, amoveatur periculum, Ordinarium doceat. Saepe, enim, parva scintilla, magnum incendium parit!

3. Et in coadiutorum ideas [praelestum nunc temporis,] potissimum advigilandum, ne novarum rerum contumaci studio maculati ac coinquinati, in Ecclesiam eiusque sanctas traditiones ac potestates, immo et in ipsam Fidei doctrinam superbientes, modernismi erroribus quo quomodo inficiantur. Quod si quem miserrimis huius saeculi laxitatibus inservire compererit, eum admoneat, pericula imminentia indigitet, ac ut ad bonam frugem se recipiat omnem lapidem amoveat. Vae, enim, paroeciae et eo magis dioecesi, in qua protervus saeculi spiritus in clero invalesceret, quo non in aedificationem Corporis Christi, sed eius in destructionem hic positus esset!

d) Tum consiliis, tum instructione coadiutores suos Parochus iuvet, ac in omnibus ita se gerat ut, sub eius paterno prudentique magisterio, apti animarum Pastores in tempore evadant, quod sane omnino pernecessarium. In sacramentorum, igitur, administratione, in verbi

Dei praedicatione, in regestorum redactione ac paroecialis Archivi cura et in coeteris quae ad paroeciae administrationem pertinent, eos sedulo instruat doceatque. Quare Parochus, non quidem cum iis de ignorantia contendat ut nesciant quae sui muneris sunt, sed de singulis attente, patienter ac sedulo eos moneat, quo, sensim sine sensu, in dominici gregis utilitatem ad maiora parentur. Venerabilium, enim, atque optimorum Pastorum consuetudo, sapientiae, prudentiae apostolatusque efficacissima schola esse consuevit!

e) Ad haec omnia facilius ferenda, cum Coadiutoribus vitam instituere communem valde iuvabit, quo, dum antiqua Ecclesiae disciplina, aliquatenus, saltem instauratur, et coadiutorum famae ac practicae institutioni opportunius consultur. Quod adeo perspectum est, ut plura de hoc verba facere sit vanum.

205. — Coeterum, his Pastoris erga Coadiutores obligationibus, et horum erga illum gravissima respondent debita, quae immure nostrum quoque est. Qua in re propriae canonicae ac moralis conditionis concii¹.

a) Talem ac tantam erga Parochum venerationem, amorem, humilitatem ac desiderium eum adiuvandi suis in animis foveant Coadiutores, ut non tantum verbis, sed, et praesertim, operibus, in omnibus ac semper eius placita fideliter ad proxim deducant. Adversus Pastorem, igitur, nullae oppositiones, murmurations, coniurationes, immo nec inurbanitates ullae; sed ei in omnibus licitis adamussim pareant, nec, quin Pastoris venia accedat, in paroeciae consuetudinibus quidquam immutare audeant. De omnibus ad ipsam spectantibus Parochum sciscitentur, prudenter ac caritative eum edoceant, et, praesertim, de infirmorum genuino statu, accurassime ac statim certiorem reddant. Universim in paroeciae temporali ac spirituali administratione ac sese cum fidelibus gerendi ratione [in quantum licet] et in peculiaribus, eamdem methodum ac Parochus Coadiutores sequantur, neque agant quidquam quo veluti extra chorum canere videantur. Quae vero in generali paroeciae regimine a coadiatore servanda sint et per tractationis cursum Pastori indigitanda, [par pari referendo] et qui vice eius funguntur prae oculis habeant. Semper vero eius ex labiis ac operibus, pastoralis regiminis documenta ac proxim Coadiutores addiscere satagant. Propriam autem scientiam [saepe fallacem, et semper tantum theoreticam] vel experientiam ne iacent, quo sane ad dissensiones fovendas nil efficacius haberi potest.

¹ Cfr. S. R. Rota, in *Mediol.* 23 mar. 1909.

b) Domesticum ac ministerii a Parocho statutum ordinem fideliter servet Coadiutor, et in victu, commoratione ac laboribus ne nimis exigentem se praebat; sed suae condicionis contentus, quae aliis coadiutoribus impendat Parochus, ne scrutet iudicetur. In privatam vero Pastoris administrationem nullo modo se ingredit, de paroeciae regimine tum infra, tum extra canonicam domum cum nemine sententiam ne proferat, et de beneficii [saepe tantummodo apparenti] copia nulla sit quaestio, multoque minus subdola perlustratio.

c) Cum coadiutores erga, fraterna et actuosa caritate devinciantur, omnes aequaliter habeat, in quantum fieri potest, omnes adiuvet, et nil in malam accipiendo partem, nulla ialousia labore. De bono confratrum successu laetetur ac gratuletur; de malo exitu vero tristetur ac compatiatur; uno verbo, adeo cum ipsis se habeat, ut se ab illis haberi vellet.

d) Cum Parochi Parentibus ac ancillis urbane quidem, non tamen familiariter se gerat Coadiutor; sed ecclesiasticae suae condicionis memor, quae vocationis sua sunt fideliter ac in omnibus servet adimplatque.

e) Cum paroecianis urbane semper, sed et prudenter Coadiutor se gerat, et eorum fiduciam sibi comparare conetur. Idcirco, crebras hinc inde per familias visitationes devitabit, easque quae forte adverso animo erga Parochum sint, nonnisi urgente ministerii officio adibit. Generatim, quo magis solitudinem colet, eo maiore fiducia in plebe se pollere pro certo Coadiutor teneat. In cunctis ac semper Pastoris auctoritatem cum omnibus strenue tueatur; nec quid dicat, vel subintelligere sinat quo de Parocho conqueri existimetur.

f) Cum per tempus licet, aliquod quotidie tempus studiis impendat, et praesertim in concionibus adparandis, perquam fideliter se habeat Coadiutor, ne aer verberando, veritatis loco, ineptias vel errorum portenta in medium proferat.

g) Residentiam fideliter servet, neque, absque Parochi venia, a paroecia discedat, extra quam necessitatis tantum caussa pernoctabit¹.

h) Tandem ut in coadiutoriae ab Episcopo assignatione, ita in eius mutatione laetae studeatur obedientiae. Hanc iustis tantum et genuinis de caassis, sed semper perquam raro, sollicitabit Coadiutor, ne inconstantiae notam incurrens, Ordinario gravis, dioecesique inutilis, ac sibimetipsi molestus efficiatur.

¹ Cfr. Benedict. XIV, *Quod inscrutab.* I idib. jul. 1745.

206. — Quoad Pastoris cum coeteris sacerdotibus relatione, quae cum Coadiutoribus servare monuimus, et heic [certo quodam modo] iteranda. Quamvis, enim, ratione muneris hi haud stricte a Pastore dependent, attamen si horum sacerdotalem professionem ac plebis aedificationem spectemus, eorum Praepositus Parochus est, qui vigilantiam ipsis inpendere tenetur, et quem colere illi vicissim obligantur. At in re, praesertim nunc temporis, cum magna moderatione agendum, ne insubordinationis contumaciaeque praetextus parentur. Eos, igitur, prudenter habere, in quantum licet, adiuvare, semper vero compati oportet, ac si quid emendandum, parce ac indirecte monendi et, nullo ecclesiastico beneficio gaudentes, ad in cultu praestandam operam parcus adiungendi. Si quis vero a recto declinet tramite paterne eum admoneat, delinquendi occasione recidat, ne fidelium confessiones recipiat curet; quod si non emendetur, prudenter Ordinarium admoneat. Sed si de quibusdam vitiis sermo sit, emendationis spem nimiam ne foveat **Pastor: corruptio, enim, optimi fit pessima,** et difficulter hos corrigi, experientia docet!

§ VI — De Pastore cum consanguineis ac ancillis relatione.

SUMMAE RERUM — 207. Animadversiones praeviae. — 208. Quae cum Parentibus
a Pastore ratio servanda. — 209. Cum eius ancillis, quem agendi modum esse possit.

207. — Conclusionis ergo de humili quidem, at omnino pernecessario argumento dicendum superest, quum ex Pastoris cum suis Parentibus ac consanguineis necnon cum ancillis relatione, perplura paroeciae suique adiumenta, vel detrimenta percipere ipse possit.

208. Quoad Parentes et consanguineos sequentia, ad proxim quod attinet, principia pree oculis ipse habeat:

a) Dum quae carnali debentur vinculo ipsis facile reddit Parochus, attamen, ne in canones graviter offendendo, nepotismi labe inficiatur quam maxime advigilet; quod sane pernecessarium, cum naturae affectus, oculum mentis vehementer obnubilet, quo, ut ex Ecclesiae bonis ipsi ditentur, innumerae ac captiosae epikeiae adhibentur. At die hoc diximus alibi¹.

b) Quantum circumstantiae sinunt [ut complurimae Synodi, omnino sapienter, iubent] cum Parentibus [si patrem matremque excipias]

¹ Cfr. pag. 62, d; indic. alphabetic. *Nepotismus.*

cohabitationem devitet Pastor. Cum vero quidquam in re decernendum sit, Episcopi veniam ipse sciscitur, quo tum plebis musitations, tum etiam, interdum, scandalorum occasiones, tum Ecclesiae bonorum dilapidationem praecavebit². Ceterum ne tot consanguineas ac iuvenes praesertim personas secum cohabitare permittat ut de Ecclesiae beneficio parentes vivere ac fructificare videantur, ac quomodo malae admirationis praetextus plebi ac coadiutoribus pericula praebantur.

c) In Paroeciae regimine a Parentibus haud se regi permittat Pastor; quod sane non tantum sibi plebique perniciosum, sed et in se perridiculum. Immo de omnibus ad temporalem ac spiritualem paroeciae administrationem spectantibus, nulla cum ipsis mentio fiat; de actis vel agendis nulla notitia ipsis tradenda. Pastoralis, enim, libertatem, haec omnia quam maxime offendunt, quibus si quis indulget, paroeciae rectionem laicis hominibus ac, interdum, et feminis, abdicasse videbitur!

d) In consanguineorum tum infra, tum extra canonica agendi rationem sollerter advigilabit Pastor, ne, dictieris paene infinitis, una cum ipsis, eius bonum nomen, misero modo, lacessatur ac funditus perimatur. De canonicae rebus extra ipsam domum eos colloqui ne sinat; fidelium quascumque sollicitationes per ipsis adlatas tam perseveranter recuset, ut ambo errasse viam omnino persuasum habeant. Tandem, ne tum infra, tum extra canonica in neminem [praesertim in Coadiutores] dominium ipsi exerceant, Pastor sedulo curabit, et generatim quidquid Parentes in pago acturi sunt, in ipsum plebem refusuram, pro certo habeat. — Si vero, procedente tempore, de quibusdam consanguineis suis, mala in paroecia pervagentur dictoria, potiusquam personam emendare, membrum caritative absindere oportet. De spirituali, enim, fidelium emolumento agitur, cui omnia semperque locum cedere oportet, et Pastor ille qui in re remissius se haberet et in decret. *Maxima cura peccaret*².

e) Tandem cum feminis parentibus extra canonica iter agere, publicis in diversoriis cum ipsis habitare, et si quid aliud, quantum malas invehant in visentibus, qui parentelam haud dignoscunt, suspiciones nemo est qui non dixerit. Nec secus censendum si ad neptem cum quodam parochiano nubendam, sua officia interponeret Pastor!

¹ Cfr. Deliberat. *Episcop. Longobard.*
a. 1905, et Epist. collect. 20 jan. 1907,
15 aug. 1901.

² Cfr. pag. 217 can. I, n. 5.

209. — Tandem et de Pastoris cum ancilla relatione dicendum, qua in re quae sequuntur animadvertiscenda:

a) In ancillae electione sinceram eius pietatem, a quolibet [ex. gr. impuritatis vel alcoholismi] vitio immunitatem, canoniam aetatem [40 ann. ¹], ad canonicae domus munera habilitatem spectandas esse patet. Nubiles, vero, matrimonium inire cupientes, connubio ligatae necnon viduae, ut plurimum, haud conducendae sunt.

b) Cum qui *suorum domesticorum curam non habeat, infideli deterior sit*², ut famulantes domestici omnes, quotidiana christiana pietatis exercitia, tum singuli, tum sociati, fervide peragant, cultui divino devote intersint, et sacramentorum praesidio frequentius muniantur, quo certius cuncto parociae, vel loci famulitio vitae morumque integritate praeluceant, Pastores attendant. Famulis ne tabernas frequentent, ancillas praesertim ne choreas agant, in quantum potuerint, Pastores advigilent.

c) In omnibus ac semper bonum exemplum ancillae Pastor praebeat, vitae necessaria ac congruentia ei subministret, laboribus ne ipsam obruat, stipendum unoquoque in mense largiatur, neque a Coadiutoribus coeterisque sperni eam sinat.

d) In muneribus quae Pastoris personam, stricte loquendo, spectant, nullo modo nullaque ratione ancillam adhibeat Pastor, neque infirmitatis caussa, officia quaeque impendat ipsi; quod sane si non semper illicitum, attamen fere semper periculosum.

e) Quamvis semper caritative, attamen numquam nimis fidenter cum ancilla Pastor se habeat, et si secreta tecta sartaque fore desiderat, nullomodo ei fidat. Quamvis, enim, optima, femina ac ideo loquacitati ac murmurationi, inconstantiae ac versutiae, imprudentiae ac dominii aviditati, vel saltem harum rerum periculo quam maxime obnoxia, semper ipsa est.

f) Ne in se ipsum, in Ecclesiae res, in personas in canonica commorantes ac in paroecianos quomodocumque dominetur ipsa, quam maxime curabunt Pastoris, quod sane si non rarus, attamen omnino indecorum ac iniustum. Famulas, igitur, quas experiuntur garrulas, cultus muliebris studiosas, non in silentio, cum subiectione, discentes, sed dominatrices, quaeque vel paroeciali administrationi sese immiscere velint, continuo dimittant. Eas, enim, de Parochi rebus colloquentes, primum *sua*, postea *nosta*, ac deinde *mea* appellacionibus uti, immo momentum omne primum [ut in proverbis est] *sibi*, dein *pullis*, ac demum *parocho* eas tribuere, quotidiana experientia docet!

¹ Cfr. *Decretal*, tit. II, lib. II, n. I,

² I, *Timoth.* V. 8.

f) Ut ancilla perurbane cum omnibus canonicam adeuntibus se habeat, ac tum infra, tum extra ipsam exemplo omnibus sit, sedulo invigilabit Pastor. Quod si quaedam in re graviore ac diuturnae lamentationes pervagentur, illam dimittere oportet, ne Parochus ipse, nimiae longanimitatis suae poenam luat. Quidquid, enim, [Pastor meminerit] ancillam dicit vel facit, a plebe sibi tribui, pro certo ipse teneat!

g) Quoad ancillae stipendum ac pecuniare depositum, opportunius alibi¹.

h) Tandem quod de haud ineundis cum consanguineis feminis itineribus nuperrime diximus, a fortiori de ancilla iterandum. Male, enim, suspicione quae primo in casu haberentur, heic quam maxime augescerent, et nullus excusationi locus esset.

¹ Cfr. indic. alphabetic. *Depositum, Pecunia, Stipendum, Testamentum.*